

AB

152826

~~Sammlung~~

88  
1848  
1849



5

Theſes diſputationis

Theologicæ

D E

SIGNO ET SIGNACULO

SACRAMENTALI

ex Rom. 4.

AD QVAS,

Præſide Georgio Mylio, D.

& Profefſore, divini Numinis ope, exercendi ingenij gratiâ respondere conabitur M. CHRISTOPHORVS MEGABACCHVS Spangenbergensis Haſſus, xvi. Auguſt, hora matutina vi. in auditorio maiori Collegij novi.

Collegij novi.

15



88.

VVITTEBERGÆ

Matthæus Vvelack excudebat



# Thefes Theologicæ de signo & signaculo Sacramentali.

I.

**A**postolus circumcisionis facta mentione, in signum eam Abrahamæ obtigisse affirmat, ut esset signaculum iustitiæ fidei: vocabulis usus duobus, non multum quidem sono ablutentibus: ut volunt aliqui, idem etiam planè significantibus: ut verò res ipsa docet, sensu diuersissimis: quibus non tantum Circumcisionis ratio pulchrè describitur: sed rei vniuersa Sacramentaria pars magna eleganter exprimitur.

II.

Quod enim de circumcisione dixit Apostolus, quatenus Sacramentum est: id reliquis etiam commune esse, quæ hoc genere participant, nemo est, quin facile intelligat.

III.

Priore autem signi vocabulo, Sacramentum ipsum significatur, eiusdemq; conditio & natura describitur. Sacramenta enim, si proprio scripturarum vocabulo appellare velimus, signa vocabimus. Altero signaculi verbo, usus Sacramentorum perstringitur: ut conditio, pro signis: usu, pro sigillis seu signaculis Sacramenta omnia habenda sint.

IV.

Prius vocabulum partim ratione Verbi nudi, quo cum fidelibus agit Deus: partim respectu peculiarium quorundam usuum, in primisq; ritus externi, ac visibilis Elementi (cui inuisibile quiddam semper est coniunctum) Sacramentis tribuitur: posterius, gratiam spiritualem respicit, cuius per hæc signa in electis semper fieri solet obsignatio.

V.

Quod si breuissima finitione, quid sint Sacramenta, docere volumus: præsens locus eam nobis ex scriptura suppeditat, ut dicamus,

A 3

camus,

camus, Sacramenta esse signa (diuina esse semper præsупponitur) quibus iustitia fidei obsignatur.

VI.

De doct.  
Christ. l. 2.  
cap. 1

Signum Augustinus definit esse Rem, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cogitationem venire, signatum scilicet. Scriptores autem Ecclesiastici inter Sacramentum & rem Sacramenti distinguunt.

VII.

Possunt ergo respectu huius definitionis Apostolica tria quasi principia constitui, ad quæ consideratio de Sacramentis potest redigi, signa scilicet, signata, & Res Sacramentorum. In quorum tractatione quo maior est apud Scriptores Ecclesiasticos perplexitas & dissimilitudo, eò accuratius attendendum erit, ut planiore explicatione inuestigata, eorum, quæ ex his principijs enascuntur, veritas erui manifesta possit.

VIII.

Sacramentum cum signum appellatur, totius Sacramenti conditio exprimitur. Quicquid ergo ad substantiam Sacramenti pertinet, ei tribuendum est hoc, quod signet.

IX.

Pertinet autem ad Sacramenti cuiusq; integritatem res non una: Sed duplex: visibilis una & terrena: cælestis altera & inuisibilis, quarum non uni, sed utriq; Sacramenti nomen propriè conuenit, earundemq; non uni, sed utriq; partes signandi competunt.

X.

Res terrena & inuisibilis, elementa sunt, quale in Circumcisione fuit præputium cum sanguinis fusione recisum, in Sacramento Paschæ, caro & sanguis agni: in Baptismo, Aqua; in Eucharistia, panis & vinum.

XI.

Hæc elementa, Symbola & signa interdum, quandoq; etiam Sacramenta à Scriptoribus appellantur, non signatorum Sacramentalium respectu, aut quasi hæc omnem sacramenti rationem in se contineant: sed respectu rei inuisibilis. Nam quia sensibus ista subiacent,

iacent, nec sunt primum bonum illud, propter quod Sacramenta instituta sunt: quis illorum usus sit in Sacramentis, & qua de causa à Christo adhibeantur, his vocibus ostenditur, nimirum, ut sint visibilia atq; externa signa invisibilium bonorum, qua in Sacramentis exhibentur. Notandum ergo, si talia esse debeant, symbola atq; elementa non mutari, neq; quoad substantiam, neq; quantitatem aut qualitatem: sed quoad finem, usum, conditionem & officium.

XII.

Res cœlestis in sacramentis omnibus est, Caro vel Sanguis Dominicus: Isq; vel typicus, vel essentialis, pro discrimine temporum, ex quo diversitas ista ortum suum est sortita. Nam ut lex umbram habuit futurorum bonorum: ita sacramenta etiam veteris Testamenti umbratilia fuerunt, sanguine præputij, sanguinis Christi, quo solo mundamur: carne & sanguine agni Paschalis, carnis & sanguinis Domini typum in sese continente.

Heb. 10. 1

In noui Testamenti sacramentis Res ipsa horum bonorum exhibetur: quæ tamen quia invisibilis est, elementum seu symbolum visibile adhibetur, ut aliud videamus in Sacramentis, aliud credamus: aliud sensu intueamur, aliud mente intelligamus, quemadmodum eleganter scriptum est à Chrysostomo & Augustino.

XIII.

Inest his, quæ diximus, magnum ad dirimendas, quæ hodiè agitantur, controuersias compendium. Sunt enim, qui in cœnæ Dominicæ negotio, integritatem Sacramenti in solis symbolis constituunt. Sunt, qui corporis Domini non realem participationem: sed significationem duntaxat & ἐνέγγυεον ibidem admittunt. Sunt, quæ idem ipsum non pro parte, sed pro signato, aut Re sacramenti, propriè dicta, computant.

XIV.

Atqui Eucharistiam non una re tantum constare, sed duabus, in quibus sacramenti integritas consistat, terrena una, cœlesti altera, cum Irenæo & Augustino Ecclesia piè asserit, Eucharistia,

Irenæus li. 4. cap. 34.

**In senten.**  
**Prosperi.**  
**Serm. de**  
**Cœna Do-**  
**mini.**

inquit ille, est ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Huius  
luculentiora sunt verba hæc: Hoc est quod dicimus, quod mo-  
dis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus  
confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili  
Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Tria in Sacramen-  
to altaris attendere debes, inquit Bernhardus, Speciem panis, veri-  
tatem carnis, & virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus, spe-  
cies est panis & vini: Quod sub illa specie credimus, verum est  
corpus & verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, & qui flu-  
xit de latere. In Canone Niceno legitur: In sacra mensa non tan-  
tùm panem & vinum esse  $\pi\zeta\omicron\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omicron\upsilon\pi$ : sed etiam corpus & sangui-  
nem Christi: Et hæc esse Resurrectionis nostræ symbola, subiungi-  
tur. Tamen si gratiam cœlestem solo pane, aut vino signari, & sic  
quidem signari, ut huius signationis maior sit quàm verbi præ-  
dicari dignitas, imò etiam maior, quàm in carne & sanguine agni  
paschalis ad signandum perspicuitas: id verò vel solum est, quod  
plus satis in se absurditatis continet.

XV.

**Ebr. 10. 1**

Iam cuius rei  $\sigma\upsilon\mu\lambda\omicron\mu\alpha$  lex habuit, eius  $\epsilon\iota\kappa\omicron\nu\alpha$ , hoc est, absolu-  
tam imaginem & substantiam nos habere testis est Apostolus. Et  
cum sacramenta fœderis utriusq., naturam eius, cui sunt adiuncta,  
testamenti imitentur non umbra, sed substantia corporis Christi nos  
participare, manifestè consequens est.

XVI.

Denique Sacramento Cœnæ non hoc signatur nobis, quod cor-  
pore & sanguine Dominico vescamur: sed corpore sumpto ob signa-  
tur aliud quiddam, gratia nimirum cœlestis: Et non utimur sa-  
cramento isto, ut corpus Christi sumamus (à multis enim ad iudici-  
um sumitur) sed ut sumpto isto beneficijs fruamur, quæ Christus  
corpore oblato, profusoq. sanguine est promeritus.



## XVII.

Iunguntur autem partes istae Sacramentales, ut unum fiant, non numero, natura, arte, persona, συναφεία, aut σχηλικώς duntaxat, id est significatione & mutuo relationis respectu, vel etiam efficacia tantum & ενεργεία, postquam in rerum natura illae iam ceperant esse; neque etiam iunguntur occulta ui verborum consecrationis, aut propter dignitatem ministri, vel fidem accipientis: sed iunguntur unione Sacramentali, ex voluntate promittentis, & ordinatione sacramenta instituentis, qui est conditor rerum, quae sunt omnium, et ea, quae non sunt, vocat ut sint.

Ro. 4. 17.

## XVIII.

Coniunctionis istius modum luculenter expresserunt Patres orthodoxi, qui in refutandis Nestorij, Eutychetis, & similium haeresibus, operam Ecclesiae sedulam navarunt. Nam cum Articulum de vera illa, atque hypostatica duarum naturarum in Christo unione haeretici isti variè non minus quam nefariè conuellerent: Sacramentorum, inprimis Cœnae Dominicæ exemplo usi scriptores illi, duabus non disiunctis, sed nec confusis etiam: verum arctissimè unitis naturis hypostasin Christi constare asseruerunt, in eum planè modum, quo in Cœna sacra visibili elementorum speciei, inuisibilis corporis ac sanguinis Domini veritas coniuncta sit.

## XIX.

Hoc est quod mysteria esse sacramenta conuincit, inprimis Evangelica: imò etiam miraculosa, qualia profectò esse desinant, si in ordinem vulgarium signorum, & classem relationum σχηλικών abire iubentur, hoc est, si illarum rerum naturam & veritatem in se non continent, ex quibus illa conficiuntur.

## XX.

Proinde hinc speciale etiā quoddam genus sacramentalis locutionis enasatur.

enascitur, quo non fit, quod in generali Sacramentalium predica-  
tionum modo fieri assuevit, ut signa & signata inuicem permix-  
tur, quod figurate fieri nemo facile iuerit inficias: sed ut pars de  
parte praeditetur, quod genus locutionum neq. figuratum, neque  
proprium vulgariter, sed inusitatum esse prorsus, qui negat, id ne-  
gat, quod est in manifesta diuinae veritatis luce positum. Et iudicet  
sanè hic inuentus docta, an sint hæc *ἀόυστα* & contradicētia, quod  
quidam cauillatur, dum *το γιντορ* in Cæna verbis à nobis retineri,  
et simul inusitatum esse in ijsdem predicationem, piè verèq. asseri-  
mus. Imò inusitatum esse dicere non possemus, nisi *το γιντορ* præ-  
supponeremus, quo demum retento sit, ut inusitatum sit, quod non  
aliter tamen, quàm dictum est, intelligendum esse dicitur.

LUC. I. 37

Quo loco merito Autoris in mentem nobis venire debet. Is  
autem Deus est, apud quem verbum nullum impossibile est, quiq.  
verbo suo, quæ voluit, Sacramenta condidit. Et diuina qui-  
dem solius potestatis est, sacramenta condere, eius nimirum, cuius  
itidem solius est, sacrorum istorum signorum signatum, hoc est,  
gratiam & salutem conferre. In Ecclesia ergo aut cuiuscunque  
hominis potestate tam non est sacramenta instituerè, quàm nouos  
fidei articulos condere. Quo argumento etiam concludimus, cum  
Christus homo Sacramenta instituerit, homini huic non finita tan-  
tùm & creata dona, sed immensam diuinitatis potestatem esse con-  
traditam.

XXII.

Quod signis vti Deus voluit, necessitatis partim fuit. *οὐκ ἔκατα*  
Quia enim Deus oportuit, & ad infirmitatem nostram sese de-  
mittere, quib. nuda & incorporea bona sua dare non potuit, cum in-  
corporei non essemus, ut Chrysostomus loquitur partim commodita-  
tis. Viuimus n. usu sensuum, à quibus cum mens rerum ferè omni-  
um cognitionem mutuatur, fit ut quod nobis eximè testatum volu-  
it Deus, non satis fuerit ministerio vnius sensus testari, sed quantum  
fieri potuit omnium: Vnde Sacramenta Visibilia verba cum Aus-  
gustino

Hom. 60  
ad pop.  
Ant.

Augustino antiquitas appellavit, quia in his verbum non tantum au-  
ditur, sed quasi pictum visitur: partim etiam, & precipue digni-  
tatis fuit Vbi enim res est leuicula, quae agitur, satis est nobis de ea  
simplicibus verbis voluntatem nostram deprompsisse. Vbi vero ma-  
ioris res momenti sunt, iam verba non sufficiunt, sed pignora re-  
rum, signa, iuramenta, & similia superaddi solent.

In Iohan.  
tract. 8  
Contra  
Faust. l. 19

XXII.

Vsui autem soli signa ista Deus destinavit. Quod si usum  
tantum diuina ordinatio respicit, hinc efficitur, cessante usu, expi-  
rare etiam ordinationem Dei. Vnde utilissima Ecclesiae regula or-  
tum habet, Extra usum nihil habere vim Sacramenti.

XXIII.

Sacramenta, sic proprie appellata, numero pauca, factu fa-  
cillima, intellectu augustissima Deus instituit, Leuitica quidem  
Circumcisionem & Agnum paschalem: Euangelica autem Baptis-  
mum & Coenam Dominicam.

XXV.

Horum nullum est, quod ipso usu, hoc est, ex opere, ut loquun-  
tur, operato, salutem utenti conferat. Gratia enim Sacramentis  
non est alligata. Et vulgo dicitur: Non Sacramentum, sed fides  
Sacramenti iustificat.

XXVI.

Non differunt ista inter sese, 1. Autore, quia utrorumq; De-  
us est. 2. Partium numero, quae utrobique, duae sunt, res terrena &  
caelestis. 3. Ratione ἁγίων, quae utrobique, signum & signatum ha-  
buit. 4. Non sine. Vtraque enim signacula fuerunt iustitiae. 5. Non  
efficacia & fructu seu re Sacramenti, quae utrobique, Christus fuit,  
cum suis beneficijs. Quod enim Augustinus alicubi scribit, Veterum  
Sacramenta promississe Seruatorem: nostra salutem exhibere, non  
vim sed modum significandi distinguit, quo aliter illa vetera, ali-  
ter haec nostra signarent Christum, illa venturum, haec iam exhibi-  
tum. 6. Denique non usu differunt. Nam ut Sacramenta sint, exter-  
no ritu celebranda: ut profint, fide utraque peragenda sunt.

In. pref.  
Psal. 73

B

Differunt

## XXVII.

*Differunt eadem. 1. Tempore & Ecclesia statu: illa Mosaici seculi, hæc Euangelica Ecclesia sunt propria. 2. Latitudine. Illa unius populi fuerunt propria: hæc omnium gentium communia sunt. 3. Signis & ritibus, eorundemq; qualitate: illa enim sanguinolenta fuerunt, quippe mortis & sanguinis Christi antitypa: hæc incruenta sunt. 4. Signandi perspicuitate. Illa enim præter carnem & sanguinem pecuinum & humanum, sanguinis & corporis Dominici umbram tantum habuerunt: nostra non pane tantum, vino & aqua: sed ipso etiam corpore & sanguine Dominico signant.*

## XXVIII.

*Præcellunt igitur nostra. 1. Facilitate: sunt enim actu faciliora quàm ista vetera. 2. Familiaritate symbolorum, quam adhibuit Christus, ne sit intermissi usus cuiquam excusatio, aut res inusitata quæquam deterreat, aut à rerum inuisibilibus & spiritualium fructu detineat. 3. Signandi perspicuitate. Uberioris enim sunt hæc nostra significationis, ut Augustinus loquitur, quàm prisca illa. Errant igitur, qui substantiam corporis & sanguinis Dominici à nostrorum sacramentorum integritate diuellunt. Sæ enim panis tantum & vinum, si sola aqua signat, longè maior & uberior fuit in priscis illis sacramentis signandi perspicuitas, quàm in nostris.*

## XXIX.

Super

1 Cor. II.

Cõment.

ad Tit. 1

Cap.

*Atqui Theodoretus conferens Cœnam agni paschalis & Dominicam, hanc esse verum illius typi archetypum scribit. Et D. Hieronymus de sacra synaxi verba faciens, tantum interesse dicit inter sacram cœnam & panes propositionis (Est aut horum eadem cum sacramentis veteribus in significatione typica atque umbratilis ratio) quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur.*

30. Dispens

Dispensatio istorum signorum propriè ad Ministerium pertinet, excepto casu necessitatis, in quo sicut olim mulier Circumcisionem: ita hodiè priuatus quiuis baptismum conferre potest: quod ex eo fieri probabile est, quia hæc initiationis sacramenta sunt, quibus neminem Ecclesia, quantum in se est, carere vult.

Signa autem ista siue sacramenta quisquis percipit, tota percipit. Pendet enim à virtute institutionis diuina, non ab hominum fide Sacramenti integritas. Infidelitas igitur utentium, non ut sacramenta esse desinant, sed ne utilia sint, tantum efficit: & quemadmodum extra usum sacramenta esse: sic extra legitimum usum utilia esse desinunt.

Non enim interest, cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad sacramenti questionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum & peruersam fidem.

Contra Donatist. lib. 3. cap. 14.

Percipiuntur autem eo modo, quem institutio diuina singulis attribuit. Circumcisio amputatione præputij: agnus paschalis eorum ritu manducationis, quem lex diuina præscripsit: baptismus aspersione aque: Cæna Dominica manducatione & bibitione.

Et quamuis cælestium rerum fructum in sacramentis ad animam præcipuè redundare non sit dubium: id tamen organo corporeo fieri tam non est absurdum, (modo absint prophana cogitationes) quam non est inconueniens, in sacramentis Deum sacramentaliter agere, qui si spiritualiter duntaxat nobiscum agere voluisset, sacramenta condendi causam nullam habuisset.

Signatum & rem sacramenti pleriq. pro eodem computant, & hæc promiscuè à scriptoribus plerisq. usurpari, non est ignotum. Docendi tamen & ἐναργῆς ὁραματισίας gratia nos ista haud immeritò distinguimus.

## XXXIII.

1 Cor. 10.

Gen. 17.7

In Sent.  
prosperi.

Res Sacramenti in Sacramentis omnibus eadem & communis est, tam veteribus, quam novis, iustitia nimirum fidei obsignatio, ut Apostolus docet, seu ut Deus olim locutus fuit, Quod velit Deus non ster esse. Quo sensu rectè dictum est ab Augustino, indignos Sacramentum, non rem Sacramenti percipere. Et huc pertinet Augustini contra Faustum Manichæum disputatio, lib. 19. cap. 16, qui crasso errore delirabat, signis sacramentisq; mutatis, res etiam ipsas sacramentorum mutari, quod falsissimū esse Augustinus ibidem ostendit.

## XXXV.

Arguitur hinc eorum error, qui in Cœna Dominica rem Sacramenti, Corpus Christi & sanguinem constituunt. Ex quo consequens foret, non cœnæ Dominicæ illud esse proprium (in qua sola tamen huius  $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha$  nobis est promissa) sed omnium Sacramentorum commune. Imò hinc efficeretur, Corpus Christi in veterum etiam Sacramentorum usu locum habuisse, priusquam id in natura rerum esse etiam cepisset.

## XXXVI.

Quanquam hunc errorem furore hodiè augent, simulq; dolum & fraudulentiam suam produnt isti, qui de vera ac reali Corporis & sanguinis Dominici participatione speciosè multum gloriantes, impudenter tandem asserunt, Veteres in Sacramentis suis, corporis & sanguinis Christi non minus participes fuisse, quàm nos simus in Cœna Dominica, & omnibus Sacramentis novi Testamenti: Imò corpus Christi tempore etiam Abrahæ extitisse, inaudita  $\alpha\pi\pi\omega\sigma\iota\alpha$  &  $\delta\iota\alpha\upsilon\omega\iota\alpha$  pronuntiare non erubescunt.

Addunt quidem fuisse: sed non actu: Sed quid est hoc, nisi sophisticum illud  $\kappa\epsilon\iota\tau\alpha\ \delta\upsilon\ \kappa\epsilon\iota\tau\alpha$ ? Si extitit, aliter esse, quàm actu non potuit. Quævis enim res actu ipso est, quod est. accidentium autem nulla per se est  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\omega$ . Et quæ esse participatio eius potuit, si actu ipso nondum fuit?

Quod si de beneficijs Christi id interpretantur: verum quidem dicunt, sed hac confessione enorme suum produnt mendacium, quo non de essentia participatæ veritate, sed participationis modo duratæ, discrepantiam esse dicunt.

Signatum

## XXXVII.

Signatum proprium & principale, quo mediante res Sacramenti semper obtinetur, in Sacramentis signo semper correspondet. Signa autem diuersa sunt, Sacramenta enim, si similitudinem quandam earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent, teste Augustino. Ergo appropriata, ut ita loquar, & diuersa itidem signata esse oportet, per quæ cum Christo p̄ semper coalescunt.

In Circumcisione signatum fuit Circumcisio  $\epsilon\chi\epsilon\iota\sigma\omicron\pi\omicron\iota\kappa\tau\omicron$ .

In agno paschali esca spiritualis.

In Baptismo signatum est, regeneratio, cuius lauacrum ille esse dicitur.

In Cæna Dominica signatum est, ea ipsa, de qua Ioannis 6. agitur, spiritualis manducatio; quæ quamuis, etiam extra Sacramentum istud, in credentibus locum habet (perinde ut & reliquorum Sacramentorum signata signis absolutè non coherent) hîc tamen signo est deuincta, ut sacramentaliter alibi nihilo magis fiat, quàm eodem modo regeneretur aliquis Baptismo non accepto, quò gratiæ illius spiritualis proprium Sacramentum est.

## XXXVIII.

Malè igitur concio Christi in Ioanne cum institutione cæna Dominica confunditur: Cæna specialem & Sacramenti propriam: Concio illa generalem atq; absolutam manducationem carnis Christi, quæ fit spiritu per fidem, continet. Si conueniat utraq; illa semper signi; hæc signati rationem habet: illa quandoque noxia: hæc nunquam nisi salutaris est.

## XXXIX.

Iam quamuis, ut Augustinus loquitur, Sacramenta aliud quidem sunt, aliud significant, hoc est, signa & signata differunt: tamen est inter illa semper analogia quædam & similitudo. Sacramenta enim nisi similitudinem haberent earum rerum, quarum sunt Sacramenta, Sacramenta non essent, ut antea dictum est.

XL.

Signa à ministris dispensantur: signata vim suam à solius Spiritus sancti ministerio atq; operatione habent.

Signa ijs organis percipiuntur, quæ singulorum vsui Deus destinavit: signata omnia fide sola apprehenduntur.

Aug. con-  
tra Cres-  
cen. l. 1.  
cap. 25.  
Con. Dona-  
tist. l. 5 c. 8

Signa quamuis sacratissima, imò diuina malè utentibus obesse possunt. Quod exemplo corporis Dominici probat Augustinus: Indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam ijs, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudiciũ sibi manducat &c. Signata nunquam, nisi prosunt.

Signa omnium sunt communia: signata solorum fidelium propria.

XLI.

Aug. l. 4  
contra  
Faust. de  
relig. Chri.  
lib. 5.

Iam ut signata cum signis confundere turpis error est: sic signa pro signatis accipere, miserrima est seruitus.

XLII.

Vsus seu fructus signorum istorum Sacramentalium hic est, ut sint signacula Iustitiæ fidei, id est, ut Christum eiusq; beneficia in nobis obsignent. Hoc enim fine omnia instituta sunt.

Sunt quidem & alij sacramentorum fines atq; vsus, ut sint confessionis nota, Ecclesiæ tessere, nerui publicarum congregationum, typi officiorum, pietatis, & similes. Sed hi accidentarij sunt. Proprius vsus est, ut sint  $\sigma\phi\alpha\chi\upsilon\iota\delta\epsilon\varsigma$  salutis humanæ.

XLIII.

Ex quo concluditur, quicquid salutem & iustitiam fidei non obsignat, in censu Sacramentorum, propriè sic dictorum, non habendum esse, qua ratione sacramenta pontificia pleraq; omnia exolescunt.

XLIV.

Pari firmitate de obiecto etiam concluditur. Quibuscunq; rebus vsus iste competere non potest, sacramenta nullo modo applicanda esse. Horrenda igitur Baptismi prophanatio est, quem Campanis Pontificij conferunt.

45. Quod



## XLV.

Quod Scholastici docuerunt, Sacramenta legis tantum ad-  
 umbrasse gratiam, nostra verò conferre eandem: similiter quod  
 Magister Sententiarum nugatur, Circumcisionem vim habuisse  
 remittendi peccata: non autem conferendi gratiam: id utrumq;  
 cum Apostoli assertionem in proposito loco manifestè pugnat.

## XLVI.

Periculosissimè errant Enthusiasta in hac doctrina parte,  
 qui Sacramenta à Christo instituta organa esse negant, per quæ  
 Deus gratiæ suæ dona in nos effundat: imò Spiritus sancti reuela-  
 tionem citra Sacramenta sufficere pijs ad salutem insaniunt.

## XLVII.

Quorum errorem factis profitentur, qui fædo contemptu ple-  
 ni, usum tantorum mysteriorum turpiter atq; impiè negligunt.

## XLVIII.

Vbi tamen probè est notandum, usum Sacramentorum non  
 constare nisi in credentibus. Nam ut verbum sine fide auditum  
 non conducit: sic sacramenta citra fidem nemini expediunt. Vnde  
 est quod eleganter scribit Augustinus: Vnde tanta virtus aqua,  
 ut corpus tangat, & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dici-  
 tur, sed quia creditur. Pernitiosius igitur nihil dici potest, quàm ex  
 opere operato sacramenta salutem conferre.

## XLIX.

Quod si usum istum pijs considerent, tranquillitatis sensum egre-  
 gium in conscientijs percipient: fides magna incrementa sumet: sa-  
 cramenta in summo honore habebuntur. Deniq; fructus veri ac spi-  
 rituales, mortificatio carnis, vitæ renouatio, studium fraternæ  
 charitatis, & similes, uberrimè ex usu Sacramentorum enascen-  
 tur.

## L.

Deniq; quòd breuissimo hoc compendio cum de natura &  
 conditione, tum etiam de usu Sacramentorum Apostolus egregiè  
 nos erudit: exemplo suo docuit, utriusq; huius partis doctrinam  
 Eccle-

*Ecclēsia esse necessariam. Vt ergo peccant, qui de natura duntaxat  
& substantia Sacramentorum populum edocent, nunquam de usu  
Sacramentorum pios erudiunt: sic reprehensionem meretur  
⁂ eorum ⁂ eorum, qui de usu Sacramentorum homines tan-  
tūm erudiri hodie volunt: de natura & substantia eo-  
rundem (hoc seculo maximè controuersa) ab-  
tum esse debere silentium  
contendunt.*

**F I N I S.**



152826

ULB Halle


3


002 671 182



HB: 152826







Farbkarte #13

B.I.G.



5

disputationis  
ologicae  
E  
SIGNACVLO  
MENTALI  
Rom. 4.  
QVAS,  
rgio Mylio, D.  
Numinis ope, exercendi  
lere conabitur M. CHRI-  
BACCHVS Spangenber-  
i. August, hora ma-  
auditorio maiori  
gij novi.

88.

BERGÆ  
elack excudebat

